

Eminentissimi Ac Reverendissimi Domini, D. Joannis Baptistæ, Cardinalis De Luca, Theatrum Veritatis Et Justitiæ, Sive Decisivi Discursus

Ad Veritatem Editi In Forensibus Controversiis, Canonicis & Civilibus, in
quibus in Urbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel Consultus
respondit ; Cum Indicibus Argumentorum, Causarum ac Rerum
luculentissimis. Opus Tam Judicibus, Quam Causarum Patronis, atque
omnibus in utroque Foro ...

Pars I. De judiciis & judicialibus. Hoc est de Sententia & re judicata,
Executione, Attentatis, Judice, Notario, Advocatis, Procuratoribus,
Expensis, & aliis ad materiam judiciorum. Pars II. Relatio Romanæ Curiæ
forensis, ejusque Tribunalium, & Congregationum

**Luca, Giovanni Battista de
Coloniae Agrippinae, 1691**

Disc. XXVI. De instrumentis, & aliis publicis documentis, eorumque fide,
circa substantiam; Id est, falsitatis, vel respectivè sinceritatis, & veritatis
qualitatem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74090](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-74090)

20 tionum, vel in exhibitione computorum, ad effec-
tum eos coercendi cum gravibus peccatis, quando
computa minus fideliter dentur, ut in sua materia
advertisitur: tit. de Regal. dicit. 119.

Alia vero, qua hanc iuramenti materiam con-
cernunt, an scilicet supplet duos defectus; Sive
quam operationem habeat illud implicitum, quod
inest obligationi camerali, aut an contineri dicatur
in illis verbis, quod promissio habeat vim iuramen-
ti, seu actus iurati; Seu an & quomodo transeat ad
heredes, & similia; Contractuum, & obligationum,
vel crediti, seu alienationum materiam potius con-
cernant, quam istam iudicialem, ideoque in suis
contraeuum, & alienationum, vel crediti sedibus
cadunt.

De instrumentis, & aliis publicis do-
cumentis, eorumque fide, circa
substantiam, id est falsitatis, vel re-
spectivè sinceritatis, & veritatis qua-
litatem.

SYMMA RIVM.

- 1 Instrumentum publicum facit probationem proba-
tam.
- 2 Quod modis instrumentum esse soleat falsum, vel al-
teratum.
- 3 Quid posuit Notarius addere instrumento, vel protho-
collo, quod non sit in matrice.
- 4 An requiratur certioratio partium super vi & ope-
ratio clausularum cum distinctione inter substan-
tialia, & accidentalia.
- 5 Quando etiam in accidentibus debet fieri certiora-
tio, vel fieri non posuit additio.
- 6 Ad quid attendatur, an dicta additio sit dolosa nec
ne.
- 7 De casu falsitatis sine culpa Notarii, nec testi-
um.
- 8 De suppositione personae contrahentis.
- 9 De alia suppositione persona testatoris.
- 10 De falsitate commissa à tertio per imitationem ma-
nus Notarii.
- 11 De alia falsitate circa assertionem contrahentis, qui
afferat se patrem familiæ, vel maiorem, cum non
sit talis.
- 12 De suppositione scripturarum in archivis, vel publi-
cis locis.
- 13 In dubio presumptio absit veritati, & resistit fal-
siti.
- 14 An, & quando sola suspicio falsitatis habeatur pro
falsitate.
- 15 De eodem, & declaratur.
- 16 quando sit vitium intrinsecum, vel extrinse-
cum.
- 17 De apofillis, vel superadditionibus, & an requiratur
subscriptio Notarii.
- 18 Quomodo proberetur falsitas.
- 19 Quomodo differendum sit doctrinis in hac mate-
ria.
- 20 Verisimile, vel inverisimile in hoc nimium atten-
ditur.
- 21 Quando non reperitur matrix, vel prothocol-
lum.
- 22 De diversitate instrumenti à prothocollo, vel matrice,
qua instrumentum contineat ea, que non sint in
matrice.

- 23 An debeat constare, quod clausula adiecta sint de vo-
luntate partium.
- 24 De casu in quo non licet Notario addere, neque ac-
cidentalia.
- 25 De eodem, & quomodo verborum, vel clausula-
rum amplitudini deferri debeat, dantur exempla.
- 26 De eodem circa clausulas opponi solitas in testa-
mentis.
- 27 De discrepancia inter instrumentum, & matricem
circa substantia.
- 28 Quid si super eodem actu Notarius det duo publica
instrumenta inter se diversa.
- 29 Quid isto casu sit faciendum, & quomodo deferri
debeat matrici.
- 30 Nimirum cauila sunt suspectæ.
- 31 De opinione quod neutri deferatur, quomodo intelligi
debeat.
- 32 De qualitatibus quas debet habere iudex, & quomo-
do in hoc se gerere debeat.
- 33 De differentia in iure forenses, & scholasticos.
- 34 Quid potius instrumento publico, quam copia deferri
debeat, sed declaratur.
- 35 De opinione quod in instrumenta, debeat deferri
magis extenso, vel magis pingui.
- 36 De eodem, & quando id procedat.
- 37 Quomodo in hoc sit procedendum in iudicando.
- 38 Quid si matrix reperiatur cancellata, vel cum ali-
qua annotatione praedictivali, per Notarium viven-
tem.
- 39 Quid notario defuncto.
- 40 De discrepancia inter Notarium, & testes instru-
mentarios, vel testamentarios.
- 41 De aliis generalitatibus in hac materia.
- 42 Ad quos recurendum sit.
- 43 De Discrepancia inter instrumentum, vel capitula, seu
aliam scripturam partium, cui potius deferendum
sit, &c.
- 44 Condemnatio, vel inquisitio Notarii de falso tempo-
re, an præjudicet instrumento.
- 45 An eiusdem Notarii confessio præjudicet.
- 46 De suspicione ob locum, in quo reperta sit matrix.
- 47 Quid si testis neget interfuisse instrumento.
- 48 De discrepancia inter annun, & inductionem.
- 49 In concursu conieclarum, & argumentorum re-
manet firmum instrumentum &c.

DISC. XXVI.

Ista species probationis per instrumentum pu-
blicum, magna in iure reputatur: unde propterea,
per ora forensium, quotidiana voluntat propositio
ab antiquioribus tradita, quod instrumentum facit
probationem probatam, & rem claram, ac manife-
stam, Gregor. decif. 180. Cavaler. decif. 206. Franch.
decif. 276.

Aduic tamen, posita eius publicitate, sive (ut
nostris dicunt) forma probanti, cum omnibus requi-
sis, quæ de iure, vel de stylo desiderantur, falla-
cias possibilis inest, ut instrumentum minus vera
contineat, idque pluribus modis sequi solet, ac po-
test; Primum nempe ex culpa, & machinatione Notarii,
& testium, ut contingit in instrumentis vere
falsis, quoad substantiam contractus, quia nempe
conficiatur à Notario cum testibus instrumentum
verum super actu non vero; Secundò cum culpa
Notarii, non autem testium, super falsitate non om-
nimoda, sed in parte, quia nempe initio actu vero,
coram Notario, & testibus, Notarius sive in matri-
ce, sive in prothocollo, vel in publico, veritatem al-
teret, ac diversimodè actum extendat, circa substan-
tialia, ad quæ eius potestas non extenditur;

Quamvis

Quamvis enim stylus Notariorum sit, adnotandi in schedula breviter, substantiam conventionis vel acti, unde propterea imbrivatura vulgo dicitur, cum facultate latius, in forma debita, & consueta, extendendi instrumentum in prothocollo; sive illud quod in publica forma extenditur, ut partibus detur; Attamen id intelligitur quoad clausulas, & cautelas accessoriis, & consequitivas, quae de stylo apponi solent pro firmiori validitate, ac majori observantia actus, eo quia Notarius tanquam in arte peritus consetur rogatus a Partibus facere actum debitum ac solitis cautelis & clausulis munatum, ut sit validus ac firmus suamque observantiam vel exequitionem habeat eo modo meliori quo potest, *Masull. ad Capte. decif. 159. Graff. de except. cap. 10. num. 42. & legg. Buratt. & add. decif. 507. cum aliis de quibus infra proxime.*

Atque exinde manet magis receptum esse, ut necessaria non sit Partium notitia vel certioratio, sive per efficacia, vel operatione clausularum, quoties illae de jure, vel de stylo, sint solite & connaturales, *Buratt. & add. decif. 507. & 932. decif. 24. par. 11. rec. Rorit. pragm. 1. de Notar. Capte. Latr. consult. 160.* Secus autem circa substantia, quae ipsius actus alteratione in contineant in pactis vel in aliis, que non ab ipsis Notarii formulario, sed a Partium voluntate pendent, quoniam tunc falsitatem positi-
vam id redolat, *ibidem proxime.*

Verum etiam in accidentalibus; Quamvis de stylo apponi solitis, falsitas, sive dolosa, sive non dolosa, verificabilis est, quia nempe partes vel una eorum, noluerint adjici aliquam clausulam, vel cautelam, quamvis apponi solitam; ut exemplificari potest, quod in calo, quem non semel praxis me docuit in aliquibus partibus abhorretur obligatio in forma Camera Apostolice, vel quia seculares Magistratus eius proxim in ipsorum subditis prohibeant; vel quia ob opinionem, quod secum ferat excommunicationem, nolint partes illi supponere, & tam Notarius illam adjiciat quandoque etiam sine dolo, sed inadvertenter ex consuetudine, vel de stylo, oblitus diversa voluntatis Partium; Quod etiam quandoque in juramento cadit, quod feliciter nonnulla persona conscientie timorata, ne se exponant peccato, quod perjurio inest, quoties statuto tempore praescripta observantia non sequatur, jurare renunt; Et tamen Notarius, ex eadem ratione sua consuetudinis in extensione Instrumenti, juramentum ad-
jicit; Quoniam, licet sine dolo, & machinatione id sequatur, adhuc tamen est falsitas, ad effectus ci-
viles inter partes, ad quos nil refert, an falsitas dolosa, vel non dolosa sit, cum ista circumstantia, seu di-
stinctio percusat effectus criminales, vel penales.

Tertius fallaciarum modus sequi potest, ab ipso Notarii, & testium culpa, super actum quoad eos, materialiter, ac formaliter vero, quamvis quoad substantiam, ille verus non sit, ut (ex gr.) verificari potest in casu relatio per aliquos DD in materia testamentaria, quod scilicet testator in statu salutis ordinante testamentum, illudque reponente in scrinio ad effectum illud consignandi clausum, & signatum Notario, & testibus, juxta formam illius testamenti, quod dicitur nuncupativum nuncupatione implicita, eiusdem testatoris famula, subtracta a scrinio schedula vera, aliam, que omnino similis in parte extrinseca erat, supposuit, quam testator in loco a se repositam inventam Notario coram testibus confignavit, unde propterea actus undique verus ac ficerus fuit, tam ex parte testatoris, quam ex illa Notarii, & testium, & tamen revera erat falsus, ex falsitate non culposa, *tit. de testam. dif. 2.*

Idemque sequi solet ratione suppositionis perso-
nae, quia nempe, Notario & testibus etiam sine do-
lo, sed iuste opinantibus, quod illa esset persona vera, attamen erat supposita; Hinc proinde ad istum effectum, in plerisque locis, ex jure municipali statu-
tum est, atque ubique ex dispositione, vel intentione
juris communis, ex aetate, ac diligenter practicari de-
beret, ut Notarius, & testes, vel saltim eorum aliqui, bene cognoscant. Partes, na huius suppositioni sub-
jaceant, *dif. 62. & 149. par. 6. rec.* Nihilominus, quandoque adeo bene, ac studiosè, machinatio con-
fici, seu præordinari solet, quod Notarius ac testes
iuste decipiuntur; Ut contingit in testamentis, quæ
per graviter infirmos cum magna celeritate ordi-
nari solent, quod scilicet, quandoque sequuta jam
morte infirmi, per domesticos eaque occultata, in
codem lecto, & cubili supponatur alter falsitatis
machinator, talis aspectus, ut in parte similitudinem
redoleat, aliam partem more graviter infirmorum
coopert retainendo, atque vocem exilium & de-
bilem graviter infirmi fingendo, dicat id quod alii
falsitatis machinatores in animo habeant; Unde
propterea instrumentum desuper consumatum, sit ve-
rum & authenticum, atque ex parte Notarii, ac te-
stium sincerum, & tamen contineat falsitatem, cum
similibus.

Quartus est falsitatis modus, tam circa substan-
tiam actus, quam circa ipsammet materiam, seu
scripturam, sine dolo, vel culpa Notarii, & testium, 10
ut contingit in illis instrumentis, quæ imitando
Notarii characterem, ac sigillum, vel signum, per a-
lum falso configantur.

Et quinto demum, illa falsitas verificari solet,
quæ committatur per unum contrahentem, circa
sua persona qualitatem, quia nempe cum sit filius
familias, se præsupponat sui juris; Vel cum sit minor,
se supponat maiorem, *tit. de alienat. & contract. dif. 29. & in suppl.* Aut se supponat so-
cium vel mandatarium, cum non sit, cum similibus;
Verum iste casus vere & propriè non percutit ma-
teriam falsitatis instrumenti, vel scripturae, sed potius
actus inefficaciam.

Datur quoque in aliis documentis, quæ publica
dici possunt, atque regulariter fide digna sunt, spe-
cies falsitatis, quæ ex suppositione resultat, quia
nempe, (ut frequens praxis docet in suis ac vanis
antique nobilitatis minus in indagatoribus)
supponantur in antiquis, probatisq; archivis, bene
initiata, & confusa privilegia, vel alia documenta;
Sive etiam bene imitato charactere, ac signo anti-
qui Notarii jam defuncti, scripturam alicuius in-
strumenti viros antiquatam eius prothocollo,
vel inter eius matrices imbrivaturas reponant, cum
similibus machinacionibus, quæ per humanam ma-
litiam excogitari solent, absque eo, quod lex id im-
pedire, seu occurgere valeat.

In his autem aliqua juris regula desuper statui
non potest, cum totum sit facti & probationis; ju-
ris autem regula generalis, percutit solum præsumptionem
veritatis, ac sinceritatis actus, cum exclusio
falsitatis, quæ in dubio presumenda non est, sed
probanda, *Farinac. quest. 153. ex num. 192. Cava-
ler. dec. 205. Capit. Latr. consult. 4.* Quando vero
probatio sufficiens adit, necne pariter certa regula
statui non potest, cum totum pendat a probationi-
bus veris vel administrativis, que in facto consistunt.

Quando autem probatio sufficiens non habeatur,
sed solum suspicio accedit, tunc disputari solet,
an sola suspicio falsitatis pro falsitate habenda sit;
Atque generalis distinctio traditur, inter judicia
criminalia, & civilia, ut in prima specie, suspiciones
14
non

non sufficient, sed concludentes probationes requirantur proportionabiliter & respectivè, juxta diversos effectus per Criminalistas consideratos, inquisitionis scilicet, ac tormentorum, vel condemnationis; In altera verò specie, sufficient suspicione, illaque pro veritate habeantur, atque ita plerique indefinitè cum ista generalitate procedunt, quando de causis civilibus agatur, ut scilicet suspicionis falsitatis habeatur pro falsitate. Capit. Latr. dicta consult. 4. Buratt. & add. dec. 60 s. dec. 6 p. 13 rec. Cavalier. dec. 205. Royas dec. 474. tit. de testam. pluries Cels. dec. 280.

Verum id manifestum continet æquivocum, quoniam ista propositio recte procedit in illa suspicione, quæ oriatur ex virtute visibili, puta abrasionis, vel cancellationis, aut alterationis verborum, vel characterum, cum similibus; Secus autem ubi vitium non sit visibile circa ipsam scripturam materiale, quæ perfecta & nitida sit, sed vitium falsitatis tanquam latens ac invisibile, circa ipsum actum formalem potius, quam materialem extrinsecus dederat; Tunc etenim res est in oppositum, quod scilicet presumptio sit pro veritate, in exclusionem falsitatis, curis exceptio proinde, quoties non omnino clara sit, sed dubia, & altioris indagationis, non impedit instrumenti exequitionem, vel operationem, add. ad Buratt. dicta dec. 61. Royas dec. 436. Zact. de obl. cam q. 17. ex 61.

Dicitur autem vitium intrinsecum, in cuius causa suspicione pro veritate habeantur, quando abrasio, vel alteratio, seu superadditio (quam apostillam vulgo dicimus,) expressam non habeat Notarii approbationem; Ea enim concurrente, nullum dicitur adeste vitium, quoniam apostilla, vel accommodatione, factæ & approbatæ ab eodem Notario, habeantur ac si essent in corpore scriptura, istaque, integra & nitida esset, cum totum pendeat ab eiusdem Notarii fide, Buratt. & add. dec. 456. dec. 340. p. 12. rec. & satis.

Et quamvis plerique teneant, quod in singulis apostillis, vel accommodationibus, ad excludendam hanc suspicionem, sive ad earum fidem, necessaria non sit approbativa subscriptio Notarii, à quo apposita præsumuntur, donec falsitas vel illicita fuisse per apposito probetur; Attamen id pariter æquivocum continet, confundendo instrumentum publicum, cum matrice, seu originali imbreviaatura, Acetiam juxta locorum, ac Notariorum stylum, cum protocco, quod matricis, quoque speciem habet; In his etenim scripturis, quibus matricis terminus congruit, dictum assumptum procedit, quoniam etiam ipsum corpus subscriptio non exigit, neque habere solet, quamvis pro locorum vel Notariorum stylo, potius commendando, vel damnando, adhiberi soleat, ideoque accessorium sortitur, naturam principalis; Secus autem ubi agatur de illa scriptura, quæ in publica forma Partibus traditur, ut in judicio, vel extra, tanquam instrumentum publicam fidem faciat, dict. dec. 340. p. 12. rec. dec. 185. par. 10. rec. cum aliis proxime supra.

Quando verò falsitatis, vel alterationis sufficiens probatio adeste dicatur; Certa non habetur in iure statuta regula generalis cuicunque casu applicabilis, cum tanquam punctus facti potius, quam juris, pendeat à singulorum casuum particularibus circumstantiis, ex quibus, pro regionum moribus, ac etiam pro magis, vel minus probata fide Notarii, atque personarum interesse habentium, bona vel mala fama, seu qualitate, aliquis considerationibus penderet, ut in uno casu minores probationes vel suspicione, & adminicula sufficient; In altero autem,

Card. de Luca de iudicis & judicialibus.

eadem, ac majora insufficientia sint, quia sic unius, vel alterius casus qualitas exigat; Ideoque erro-neum est cum generalitatibus procedere, sive decisiones, aliasque doctrinas, unum casum percutiennes, cuicunque alteri applicare, ut modernorum Pragmaticorum consueta inepta facere solet.

Expedit siquidem, atque commendabile est, sci-re, ac inspicere decisiones, quæ in similibus casibus prodierint, ad effectum ita recipendi lumen seu norman, pro arbitrii regulatione, congruè applicatione; Verum stultitia species est, cum earum sola litera procedere, Major verò stultitia est, quando id sequatur in Consilii, quæ ad unius Partium oportunitatem, conductio more prodierint, ut alibi non semel, (sed semper oportune) advertitur.

Potissimum verò ad infelictendum ad verisimilitudinem, vel inversimilitudinem resultantem à rei brevitate, atque ab interessu, vel utilitate exinde obveniente auctori seu machinatori præsupposita falsitatis, quæ absque notabili utilitate, ac interesse, præsumenda non est, cum id improbable sit, Capit. Latr. consult. 4. Buratt. & add. dec. 624. tit. de testam. disc. 2. 5. & 39.

Prætendi frequenter solet, ut instrumenti falsitas, vel alteratio, quæ eius fidem incontinenti adimat, convincatur ex eiusdem Notarii actibus affirmativis vel negativis; Affirmativis scilicet, eo quod instrumentum diversum est à matrice, vel à protocco, atque majora, vel respectivè minoria contineret; Et negativis, quia in eiusdem Notarii protocollo vel scheda non reperiatur matrix vel originale.

Aduictum ista non concludunt, sed bene suspicionem inducent, nimirumque in consideratione habenda sunt, quando aliae probationes vel præsumptiones seu adminicula concurrent, cum illæ ex huiusmodi circumstantiis magnum recipient fomentum, sed solum & de per se non sufficient, præfertim circa factum negativum, quod matrix vel originale inter alias Notarii scripturas, non reperiatur; Non per hoc enim quod non reperiatur matrix, id prejudicat publico instrumento, quoties istud in reliquis suam habeat formam probantem, cum quandoque originales matrices seu originales imbreviaatura, amitti, seu parvi pendit soleant, præfertim defuncto Notario, qui diligenter proprias scripturas custodire solet, illaque remanent penes hæredes, vel alios custodes, seu administratores, qui tantam diligentiam adhibere non solent, unde propterea de facilis debitor vel alter interessatus, matricem occupando, seu lacerando, eludere posset jus creditoris, vel alterius Partis, quæ ita quiccat cum instrumento publico, quod in authentica & probanti forma penes se retinet, & custodit, Mantic. dec. 32. Cavalier. dec. 122. dec. 349. p. 10. rec. tit. de testam. dif. 65. & 66.

Quo vero ad alios actus affirmativos, quod scilicet instrumentum diversum sit à protocco seu matrice; Distinctio est inter substantialia, & accidentalia; Ubi enim agitur de accidentalibus, sub quorum nomine veniunt clausulae, & cautelas, quæ de stylo ipsius Notarii, vel de consilio sapientis, accessoris & famulativè adjici solet, pro majori firmitate ac observantia actus, ita concurrendo rigorosis subtilitatibus juris, ob quas aetus uno modo difficultates pati posset, ut valeat, sive; exequitionem habeat, eo modo quo valere potest; Et tunc discrepantia non obstat, ex superiori infinita propositione, quod Notarius in extensione protocoli, vel instrumenti, addere potest huiusmodi clausulas vel cautelas, pro quibus tanquam peritus

in arte à Partibus rogatus præsumitur; Quoties ista præsumptio per contrariam probacionem non tollatur ut supra, & que adjectio omitti solet in matrice seu originali imbreviaatura, in qua solum per Notarium admittantur substantialia, circa quorum alterationem Notarius nullam habet potestatem, *supra num. 4.*

²³ Et quanvis non modica questio sit inter scribentes, circa huiusmodi clausularum efficaciam, ac operationem, & præserit in testementis, quando non constat, quod adiecta sint de voluntate Partium, que de carumde clausularum, & cauteriarum virtutis, ac operatione, certiora fuerint, ubi præserit agitur de rusticis, ac de mulieribus, aliisque personis idiotis, adeo ut revera dicenda sint clausulae & cauteriae adiecta de stylo Notarii; Attamen, in praxi, magis communiter recepta videtur opinio, que favet earum efficaciam, & operationem, ex dicta ratione, quod ideo adhibentur Notarii, ut conficiat actum eo meliori, magisque cauterato modo, quo fieri potest, ac debet, *tit. de testam. disc. 57. & supra num. 4.*

Verum id dupliciter temperandum videtur, Primo neque ubi pro stylo gravium negotiorum, & præserit in magnis Civitatibus, præparentur instrumentorum minuta, qua à pluribus utriusque Partis sapientibus consultentur, ac revideantur, cum conficiata discrepanzia inter eos, super aliquarum clausularum, vel cauteriarum adjectione, vel deletione; Unde propterea, si concordantibus de minuta, super ista ita accommodata, & concordata, rogetur Notarius pro confessione instrumenti; Tunc etenim sibi concedenda non est ista facultas adiuncti clausulas, & cauterias, quinimò, ut dicitur, neque syllabam, quamvis pro eius stylo, vel formulario essent adiecti solite, quoniam est se ingenerare in substantialibus, ac super iis, qua partes noluerunt; Nisi Partium, earumque Sapientum opera adhibita fuerit, super iolis substantialibus, atque in reliquis se remiserint Notario, ut extendat instrumentum in forma, cum clausulis, & cauteriis solitis, ut frequenter, uno vel altero modo ego practicavi, ideoque tunc pendet ex circumstantiis facti.

²⁴ Et secundo, ut huiusmodi clausularum, & cauteriarum operatio, discretè admittenda sit, non quidem cum solis generalitatibus traditis per DD. illasque cuiuscumque casui, absque alio ratiocinio, vel distinctione, ad solam literam, pro conficiata inceptia, applicando, Sed discretè, & pro qualitate personarum ac negotiorum, aliarumque circumstantiarum, spectato principaliter fine, vel ratione, ob quam lex vel DD. huiusmodi clausulas, & cauterias adiunxerunt, ut scilicet ita suppleatur id, quod Partes, vel disponentes verisimiliter voluerint, pro majori firmitate actus, unde propterea eadem clausulae vel cauteriae pro earum propria natura, dici mereantur familiarior, & accessoriior, non autem, ut cessare debent effectum potius diversum, vel concursum, circa substantialia, inducendo id, quod Partes noluerint, Ut puta, exemplificando demonstrative, non autom taxative, ut ita à simili ad alia inferri possit,)Habemus in transactionibus, qua de earum natura restringuntur solū ad ea, qua fuerunt in lito, pro quorum compositione inita censentur, ideoque alia extra item non complectentur.

Limitari autem solet ista regula, quando amplitudo verborum, & clausularum aliter suadeat, cum aliquando litigantes, occasione concordia in ita super aliqua lite, ad radicem tollendam omnem aliam discordiarum occasionem, cum amplitudine

verborum, & clausularum, generales, ac amplas remissiones jurum, & prætensionum hinc inde sibi facere solent; Id autem non dicitur continere transactionem, sed potius actum diversum partii de non petendo, vel donationis, cui transactio super lite causam vel occasionem dederit, *sub tit. de feud. disc. 47. & tit. de alienat & contrah. disc. 50.*

Cum itaque super isto actu, quem verè Partes ita facere voluerunt, de consilio Sapientum, & cum maturo studio bene cautelatam minutam ordinaverint, eamque tradiderint Notario, qui fideler absque alteratione instrumentum conferret; Adhuc tamen, frequens praxis docet, quod idem Notarius rogatus alia occessione à personis idiotis super aliqua transactione, que inter eas, absque huiusmodi præordinationibus conclusa sit, opinando facere rem valde bonam, mutatis nominibus, utitur illa minuta pro formulario, de verbo ad verbum adiiciendo eandem amplitudinem verborum, & clausularum, ex quibus resultet remissio aliorum jurum ac prætensionum, extra liten, quod nunquam à Partibus volunt, neque cogitatum fuit, & tamen inepti merè Pragmatici Judices, inherendo sole formalitate verborum, ac etiam capiendo ad literam, pro quocumque casu, Decisiones, vel Responsa, que prodicerint in alio casu, in quo præordinatè, ut supra, id volitum fuerit, deducunt ad proximam dictam remissionem, nunquam voluntam, Ideoque insipientia est substantia verisimilis voluntatis, an scilicet tales concurrent circumstantia conjunctionis sanguinis vel benevolentia, sive etiam honesti, ac laudabilis finis eradicandi occasionses novarum litium, & discordiarum, adeo ut ista remissio, vel condonatio, verisimiliter volita fuerit, non autem ut ita servendum sit litteræ verborum & clausularum, præter verisimilem voluntatem partium.

Idemque dicendum est, vel contingit, circa clausulas, que apponi solent, in testamentis, ut præserit sunt clausula codicillaria, & altera omni modo melior, quibus DD. tribuunt adeo magnas operationes circa ea, qua nunquam à Partibus formatae fuerint, in eo etiam de dicto in contrarium, quoniam investiganda est substantia verisimilis voluntatis disponentis, & an reverè illæ clausula, ex præsumptione juris adiecta præsumantur de voluntate disponentis, vel familiariè pro dispositionis validitate, eiusque majori firmitate & observantia adiecta sint, nec nè, *ed. disc. 57. de testam. & supra num. 4.*

²⁵ Ubi vero discrepanzia, inter matricem, & instrumentum, sit circa substantialia, qualia dicuntur ea, que respiciunt substantialiam actus seu voluntatis Partium; Et tunc matrici potius deferendum est, ideoque instrumentum in illa parte alterativa substantiae, falsum dici meretur; Et consequenter, habentibus instrumentum magis expedit, quod matrix non reperitur, quam quod reperitur.

²⁶ Si vero ab eodem Notario, duo, vel plura edant instrumenta publica, super eodem actu inter se diversificantia, tunc quaestio cadit, cui potius deferendum sit, atque in hoc varie habentur opiniones; Aliqui enim putant, ut neutri ratione incertitudinis, deferri debeat, quasi quod ita Notarius, falsum, vel fide indignum se reddat; Alii, ut deferri debeat illi instrumentum, quod sit pinguis, vel magis bene extensus, & cauteratum; Alii vero tenent, ut deferri debeat primo, cui per secundum, Notarius præjudicare non possit; Et alii distinguunt, ut insipientiū sit, an ambo habeant formam publici instrumenti, vel potius unū sit instrumentum formi-

ter editum in forma publica, alterum vero sit simplex sumptum vel copia, aut fides, ut tunc instrumento deferendum sit; Et alii, ut recurri debeat ad matricem, seu prothocollum, ad effectum inspicendi quale magis cum matrice concordet, de his habetur tit. de testam. discr. 65. & discr. 23. de fideicommissis.

Omnis istae opiniones (pro meo iudicio,) discretive, in suis respectivis casibus, attendenda videntur, eas unitim considerando, ut pro singulorum casuum qualitate, & circumstantiis, Judge eius prudens beneque regulatum arbitrium interponat, ideoque errorne est illa considerare singulariter, atque in abstracto, attendendo doctrinas ad literam, quod si in eis amplectatur una opinio, ea cuicunque casui applicari debeat, in hoc etenim, consistunt quotidiani errores, & equivoca.

Recurrendum itaque isto casu erit, ad matricem seu prothocollum, quod diligenter inquirendum erit, ad effectum videndi, an matrix, seu prothocollum, sit bene tantum, eo modo, quo alia instrumenta, de quibus nulla vigeat suspicio, dum de illo malo Notario, qui duo diversa super eodem actu edat instrumenta, rationabilis suspicio quoque haberi possit, ac debeat, quod scilicet, quemadmodum in una parte se male gessit, ita se gesserit in altera, alterando quoque matricem vel prothocollum, ut magis concordet cum uno ex duobus instrumentis, adeo ut, quando in ipsa matrice, dicta suspicio aliquatenus cadat, tunc major concordantia potius suspicionem praebat ac fidem adimat, eo modo quo habetur infra in testibus nimium bene deponentibus, quoniā nimia cautela, reputari solet unum ex argumentis vel suspicionibus falsitatis; Et sic illa opinio, quæ tenet partes instrumenti magis concordantis cum matrice, est quidem probabilis, bonasque habet rationes, sed intelligenda venit, dummodo matrix omnino sincera sit.

Quo vero ad alteram opinionem, ut neutri deferriri debeat; Pariter ea discretae practicanda est, juxta facti qualitatem & circumstantias, indagando in primis bonam vel respectivam malam fidem eius, qui pro se habeat primum, seu anterius instrumentum, & an istud, aliqua probabili suspicione laborret, necne; Atque ad idem confert, an Notarius sit solitus delinqueret, sive alias de falso punitus vel inquisitus fuerit, vel quod ipse principalis, qui habet pro se primum instrumentum, bonam vel malam famam habeat, cum similibus ponderationibus, in quibus, potius circumstantiae facti, quam conclusiones juris, vel doctrinae inquirenda sunt.

Hinc proinde pro istis, aliisque similibus effectibus, desideratur Judge, qui sit magis sapiens, quam sciens, sive magis judiciosus, & expertus, quam ingeniosus & literatus, in abstracto immorari solitus, atque tempis terere in legum antimis, vel subtilibus intellectibus, & inductionibus, aut in litera, seu meliori editione legum, inquirendo pandectas Florentinas potius quam vulgatas, sive recurrendo ad Graecas; Aut sequendo illas subtiles, ac eruditas ponderationes, quas scolastici scriptores pro ingenii acumine fecerunt, cum similibus frigiditatibus, quæ congrue quidem sunt scholasticis, sed incongrue forensibus, qui principaliter in cumber debent, potius facta, quam juri.

Prout etiam, circa alteram opinionem distinguenter, inter simplex sumptum, vel copiam, & instrumentum publicum, Probabilitas est quidem opinio, ut instrumento potius deferri debeat, quoniam sumpta, seu copia, vel fides inconsiderata, seu non ita accurata dari solent; Adhuc tamen magna fu-

spicio exinde resultat, quæ de instrumenti fide minuit, ideoque aliquo administrorum fomento indiget.

Item altera opinio quod deferri debeat pinguiori, seu magis extenso, & cancellato, probabilis quidem est, quando ista circumstantia versetur circa accidentalia, nempe circa clausulas, & cautelas, quæ de stylo apponi solent & quassat supra, ratione officii Notarius adjicere potest, adeo ut nulla ad sit alteratio, circa substantialia, quoniam recte dari potest, quod Notarius primo loco dederit instrumentum magis sic cum eo modo quo in matrice, sive in originali abbreviatura (ut supra) concipi solet; Postmodum vero melius advertendo, illud confiat magis extensem, ac munitum solitis clausulis, & cautelis, nulla tamen accedente alteratione substantia.

Istaque ponderatio, quod ex duabus unum sit pinguius, seu melius extensem, magis cadere solet in ipsa matrice, præsternit post mortem Notarii, quod scilicet in eius scripturis, seu quaternis, vel fasciculis, super eodem actu, duæ reperiantur scripturae, eiusdem tenoris, cum aliqua tamen differentia, seu alteracione, adeo ut incertum sit, quænam sit matrix originalis authentica, super qua conceptus fuerit rogitus, quodque altera esset potius minuta, seu præparatio; Atque tunc recurri solet ad istud argumentum, quænam scilicet sit melius extensa, sive etiam quæ magis nitida, alia vero magis expurata, vel castata, cum frequenter soleant prius fieri minuta, seu scriptura præparatoria transmitti solita per manus sapientium Partium, deindeque efformari scriptura nitida, & præparata, dicto discr. 65. de testam. & discr. 23. de fideicommissis.

Hæc autem omnia, quasdam continent regulas generales, ad illuminandum Judicis intellectum, & pro quadam norma, non autem ut præcisæ ac generaliter, sive ad literam, cuicunque casui applicari debeant, cum revera sint questiones potius facti, quam juris, certam ac uniformem non recipientes regulam, sed pro singulorum casuum qualitate, & circumstantiis decidenda.

Si vero, inter matricem, & instrumentum, non adsit discrepantia, sed matrix reperiatur cancellata, sive quod in ea Notarius adjecerit, quod de consensu Partium castella sit, tunc, nisi super hoc actu adit novus formalis rogitus, cum testibus, & cū clausula auctum, aliisque solemnitatibus, que in novo instrumento necessaria sunt, in consideratione id habendum non est, ex regula, quod Notario creditur solum in iis quæ scribit in ipso actu rogitus, ac stipulationis, cum testibus, aliisque solemnitatibus, non autem in iis quæ dicit, vel adnotat ex intervallo solus, & loquendo ex se, cum tunc consideretur tanquam mere privatus, Gregor. & add. decr. 177. add. ad Buratt. decr. 95. Galeot. lib. 2. contr. 66.

Major difficultas cadit, quando in ipsius Notarii rogati scheda, vel prothocollo, reperiatur matrix aliquius instrumenti interlineata, seu cancellata, vel habens dictam marginali annotationem, cum assertione cessationis, vel recessu de consensu, absque eo quod idem Notarius publicum dederit, sed eo defuncto prætentatur per unam partium reassumptio, quæ per Notarium successorem, vel alii facienda sit; Atque in hoc certa regula statu posse non videtur, cum pendeat ex singulorum casuum circumstantiis, nimium attente ponderandis, cum saltem id redoleat magnum argumentum, vel suspicionem, unde propterea non ita de facili intrantea, quæ advertuntur supra in casu, in quo idem Notarius vivens publicum instrumentum

Card. de Luca de iudicis & judicialibus.

Partibus tradidisset, cum valde notabilis differentia dignosci videatur inter unum casum & alterum, ideoque ad alia extrinseca adminicula recurrentum videtur, ex quibus constet, quod matrix sit vera, atque ab initio nitida, interlineationes autem vel cancellationes, seu annotationes facta fuerint ex intervallo, dum alias nimium de facili fraudes committiposset per debitores, aliosque ad alicuius contractus observantiam obligatos, *dico. dñe. 65. de testam.*

& dñe. 23. de fidei.

Discrepancia quoque sequi solet, inter Notarium, & aliquos testes instrumentarios (ut in his præstimum frequentior praxis docet,) unde propterea, 40 questiones cadunt, cui, vel quibus potius deferri debet; Et quamvis regula assistat Notario, cum repositum esse non debeat in aliorum testium facultate, publi cum Notarium, cuius fides à lege probata est, de falso convincere, atque publicum instrumentum infringere; Adhuc tamen ista regula, à limitatione immunis non est, pro facti qualitate & circumstantiis, attempo numero, & qualitate testium, & è converso attenta qualitate Notarii, ac majori, vel minori eius fama vel estimatione, nec non, & portissimè attentis iis, super quibus testes diversimode deponunt, an sc. dispositivit ac univocè convincant contrarium de dicto eius quod in instrumento contineatur, vel potius loquantur de iis, quæ ipso non audierint, quia non adverterint, seu non bene pereperint; Potissimum vero, ac super omnia recurrente ad alia extrinseca facti adminicula, ex quibus inspicendum est, cui major assistat verisimilitudo, pro facti qualitate.

Hinc sequitur quod ista non est materia, quæ de facili certam admittat regulam uniformem, cuiuscumque casu applicabilem, sed quod totum pendeat à singulorum casum circumstantiis; Idque generaliter in ista materia cessantis fiduci instrumentorum dicendum est, circa alias species probationis falsitatis, & circa eius præsumptiones, vel argumenta, quoniam cum totum penderet à singulorum causum qualitate, impossibile est certam regulam de superstatuere; Ideoque in casis contingentia, recurrentum est ad tractantes materiam ex professio-

42 Sive ad decisiones, vel Responsa, super consimilibus casibus; Non quod eis in litera cum inepto pragmatico ab usu absque alio discursu procedendum sit, sed ad illuminandum intellectum, pro bene regulando arbitrio, cuius interpositio, ut supra dictum est, principaliter penderet à iudicio sa combinatione circumstantiarum, ex quibus eadem individua argumenta, quæ in uno casu efficacia reputata fuerint, in altero inefficacia sint, & è converso; Siquidem non ita par forniciter procedendum est, cum persona qualificata, ratione nobilitatis, vel probata bonitas, cum altera vili vel diffamata; Sive non eodem modo in re magni momenti, cum altera modicæ utilitatis, cum aliis similibus ponderationibus, quæ falsitatis, vel inclinationis suspicionem includant, vel excludant; Ac propterea perpetuo damnandus est usus, in definite procedendi cum solis generalibus, vel eum sola litera decisionum, & doctrinarum, ut frequenter procedi, cum magna nausea, praxis docet.

Frequenter quoque disputare contigit de alia specie diversitatibus, non quidem inter duo instrumenta edita super eodem actu, minusque inter instrumentum, & matricem, vel inter Notarium, & testes, sed inter instrumentum à Notario celebratum, & capitula, vel alias privatas scripturas, quæ inter Partes super conventione inita sint, super quibus

deinde, ad majorem firmitatem ac tutiorem probationem vel observantiam, publicum instrumentum fieri, cædem partes convernent; Hæc autem diversitas non ita influit in falsitatem, ut influat alia species diversitatis, de quibus supra sed potius percutit majorem fidem, cum diversitas citra falsitatem recte sequi possit ac soleat, vel ex innovativa partiu voluntate, vel ex majori declaratione, sive quia Notarius vel sapientes, & consultores id quod cum majori simplicitate ac rudiori stylo Partes, in capitulis, vel in apoca seu albarano, convernent, ipsi adhibendo abusum extendendi instrumenta latino sermone, elegantiæ gratia, seu famulando formularios aut ad sapientiam ostendandam, ut ita ab idiotis magna captent præmia, taliter concipiunt instrumentum, ut diversum habeat sensum.

In hoc autem, pro magis communis, magisque recepta opinione, præserit in Curia, regula assistit capitulis, vel aliis privatæ scripturis; Ex ea nimium congrua ratione desuper assignari solita, quod capitula continent verba Partium, instrumentum vero continet verba Notarii, *tit. de fidei-com. dñe. 179. & tit. de emphyteuf. dñe. 14.*

Limitationes tamen, vel modifications ista regula recipit ex facti circumstantiis probantibus vel arguentibus, ut diversitas ex ipsarum Partium voluntate proveniat, vel innovando contentionem in aliquibus circumstantiis, cuius argumentum defini solet, quando aliquid temporis notabile intervallum, inter unum & alium actum intercedit, vel gratia majoris declarationis se majoris cautela, & firmitatis; Et in summa est quæstio potius facti, quam juris, in qua juris regula prodest ad inducendam præsumptionem, quæ fundat intentionem eius, cui ipsa assistit, ut transfundat in alteram partemonus probandi limitationem juxta generalem naturam regula, & limitationis, atque ad hunc effectum profundit generalitates, vel doctrinæ in similibus questionibus prodita.

Inquisitio autem, vel condemnatio Notarii de falso non præjudicat instrumento prius rogato, ut etiam postea in publicam formam reassumti valeat, quoniam subsequens eius delictum non debet Partibus præjudicare; Adhuc tamen suspicionem id causat, ut propterea id cum aliis falsitatis administris conjugendum sit, *Mantic. decif. 3. Rovit pragm. 2. & 3. & Notar. Buratt. & add. decif. 176. & 591.*

Quinimò, etiam si Notarius expresse afferat, quod instrumentum sit falso, eius afferitione non desertur, nisi alia concurrant adminicula falsitatis, 45 *Surd. decif. 107. & 135. Buratt. & add. dicta decif. 176. ubi alii.* Ideoque semper firmum in tota materia remanet sepius insinuatum assumptum, quod totum penderet ex particularibus facti circumstantiis, ideoque certa regula generalis desuper non cadit, eodem modo quo supra insinuatum est, quando matrix non reperiatur in protocollo, cum similibus, quoniam defectus huiusmodi soli, & de per se non sufficiunt, juncti autem cum aliis in magna consideratione habendi sunt.

Considerabilis vero suspicio videtur ea quod matrix non sit cum aliis in protocollo, vel in loco 46 congruo Archivii, sed separatis, & in loco insolito, vel incongruo, *Bibl. decif. 488.*

Sive quod aliquis testis neget interfuisse, quoniam solus non sufficit, sed magnam præstat suspicionem, vel adminiculum cum aliis conjugendum, *Royas decif. 474.*

Discre-

- 48 Discrepantia itē inter annū, & indictionem, suspicionem inducit in concursu aliorum adminiculorum considerabilem, quamvis ipsius indictionis omissione non adeo praeceps necessaria sit, quod tam ex style loci decisionem recipit, Rorū pragm. 2. de Notar. Rot. in Placentina nullitatē professionis 31. Marii 1656. coram Albergato Coccin. decīs. 1479. repetit. dec. 430 par. 5. rec. num. 89.

In dubio autem pro exclusione falsitatis est respondendum, atque in concursu argumentorum eis, hinc inde conquassatis, firma remanet veritas instrumenti. dec. 279. num. 43. & seq. par. 9. rec.

De eadem materia instrumentorum super eorum forma probante, vel non probante.

S V M M A R I V M.

- 1 Nisi discursu agitur solum de forma probante instrumenti.
- 2 Distinguuntur inspectiones.
- 3 Notariatus debet probari ab eo, qui pretendit, quod instrumentum sit publicum.
- 4 Antiquitas temporis, an & quid in hoc operetur.
- 5 Probatio Notariatus quando non sufficiat, nisi aliae accendant qualitates in Urbe.
- 6 Quid in statu Ecclesiastico extra Urbem.
- 7 Et de Notariis creatis auctoritate aliorum Principū confidientibus instrumenta in Urbe, vel Statu Ecclesiastico.
- 8 De instrumentis rogatis extra dictum Statutum, que deducantur in Curia per Notarios Apostolicos.
- 9 Quid de rogatis per Notarios creatos per Principem vel Dominum illius loci.
- 10 An Notarii creati auctoritate Principis secularis possint confidere instrumenta, & acta in causis, & rebus ecclesiasticis, & spiritualibus, vel beneficiis.
- 11 Quid dicendum sit in aliis Principatibus, & ditionibus.
- 12 In Regno Neapolitano non defertur instrumentis rogatis per Notarios Apostolicos.
- 13 Declaratur in quibus rebus, & causis eis deferantur.
- 14 An & quando deferatur instrumentis eorum, qui vero non sint Notarii.
- 15 Quid in Urbe, quare in ea non intret ista questio, & an & quando intret regula l. barbarius.
- 16 Cum in incumbat onus probandi affirmativam, vel negativam Notariatus.
- 17 De forma vel solemnitate originalis matricis, & quando ista dicenda sit talis, necne.
- 18 De mente, anno, & aliis, an requirantur in matrice.
- 19 Quod non sit immorandum in sola formalitate verborum.
- 20 De circumstantiis que debent attendi, ad inspicendum an sit matrix originalis.
- 21 De protocollo, eiusque diversis speciebus, & de protocollo ordinato.
- 22 De alio protocollo conslato ex matricibus originalibus.
- 23 De differentiis inter unam speciem, & alteram protocollo.
- 24 Que solemnitates debeant esse in matrice, & que in publico.
- Card. de Luca de judiciis & judicialibus.

- 25 Annus, & dies debent ponи per extensum, non autem per abacum.
- 26 De testibus, & de iudice ad contractus in instrumentis Regni Neapolitani.
- 27 An in matrice requiratur subscriptio Notarii.
- 28 Quod commendabile sit subscribere.
- 29 Quod testes & clausule unus instrumenti possint servire pro alio.
- 30 De requisitus instrumenti publici ultra ea que sint in matrice.
- 31 An signum & subscriptio Notarii requirantur copiæ.
- 32 De requisitus instrumenti publici in forma probante in Regno Neapolitano.
- 33 Quando etiam ibi dicta requisita non adhibeantur.
- 34 De copia an probet, & quando ei deferatur;
- 35 An forma legum laicalium debeat servari in instrumentis, que serviant pro foro Ecclesiastico.
- 36 Laudatur cautela, ut Notarii creati ab uno Principe, carent etiam creari à Papa, & ab aliis Principibus.
- 37 De materia extractionis, vel reassumptionis instrumenti ab originali Notarii mortui.

D I S C . X X V I I .

EA que in precedenti discursu habentur, percutiunt scalam, in quo instrumentum habeat in reliquis formam probantem, adeo ut nulla cadat quæstio, super eius veritate, & authenticā formā defacto, sed solum super veritatem de jure, ob vitium scilicet falsitatis, vel alterationis, de quo oppositor, vel impugnator objicit; In praesenti autem, agitur de ipsa forma probante, vel authenticā, quam altera Pars neget, ita impugnando substantiam instrumenti, eiusque veritatem de facto, quod scilicet scriptura censeri debeat informis, ideoque ad sufficientem probationem non apta.

Id autem pro clariori resolutione, in plures distinguendum est inspectiones; Primo nempe ubi proveniat ex defectu legitimi notariatus eius, qui instrumentum confecit; Secundò ob non interventionem requisitorum, que in instrumento publico ab initio desiderantur, quia nempe eorum defectus sit etiam in matrice; Et tertio circa requisita necessaria super ipsius publici instrumenti extractionem, vel reassumptionem, ab originali, ut debitam formam probantem habeat.

Quatenus itaque pertinet ad primam inspectionem, super notariatu; Regula est, quod ille probari debet, per eum qui in instrumento se fundat, atque ex eo suam deducit actionem, vel exceptionem cum non omnis scriptura, que instrumenti publici faciem, vel formam habet, sit instrumentum, sed solum illud, quod per publicum Notarium constitutum sit, ob publicam fidem, vel auctoritatem, quā ei tribuit Princeps vel alter, qui ex principiis auctoritate notariatum contulit; ideoque ista qualitas est fundamentum intentionis Menoch. lib. 2. presumpt. 81. Buratt. dec. 492. Bich. decif. 223.

Ab isto autem onere eximit solum antiquitas temporis, quæ ad hunc effectum illa dicitur, quæ sit centum annorum, vel circa pro iudicis arbitrio, vel facti qualitate, quoties copulatively duo verificantur; Primo nempe quod scriptura habeat faciem instrumenti; Et secundò quod accedit observantia, sine qua generaliter solus lapsus temporis, nullam facit operationem, Gregor. & add. decif. 2. & 38. H 3 Buratt.